



92

NOMINA
PERSONARVM ET LOCORVM
COMMVNIA
RECENSET

ATQVE
AD ORATIONEM VALEDICTORIAM
OBSEQUIOSE INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,
Litteris MATTHAEANIS.

XCII.

Qvoniam Colditio, qui causam scribendi nobis suppeditat, cum oppido Misniae haud ignobili commune est nomen, non veremur, ne quis argumentum huius scriptiois, in fronte significatum, ab hoc instituto alienum arbitretur. Et nomina quidem rerum notas ac signa esse, non solum iam pridem ARISTOTELES adfirmavit, sed usu etiam atque experientia hoc confirmatur. Quamvis enim Hebraico vocabulo **שם** notionem *signi* tribuere non audeamus, quod aliquando PERIZONIVS fecit, a) verba architectorum turris Babylonicae, **שם לבו** b) ita transferendo: *faciamus nobis signum*: negari tamen non potest, nomina et signa per naturam arctissime esse copulata, et propterea in sacris litteris **שם** et **תוא** coniungi. c) Neque alienum a vero videtur, tam Hebraeorum **שם**, quam Graecorum **σημα**, quibus *signum* indicatur, natales suos ad Hebraicum **שם** referre. Quicquid horum sit, singula nomina merito ita comparata esse debeant, ut certam et constantem notam illius prae se ferrent, quod indicare debebant. Quia vero nulla fere lingua tantis diuitiis abundat, ut singulas res singularibus vocabulis notare valeat, factum est, ut una eademque vox pluribus rebus, certo vinculo connexis, tribueretur. Ex quo fonte etiam tropos et figuras rhetorum promanasse, uno ore consentitur, qui huius artis praecepta tradunt. Ita enim CICERO, verbi, inquit, d) *translatio instituta est inopiae causa, ad delectationem autem frequentata*. Cui sententiae Gallus celeberrimus, ROLLINVS subscribit e) *les tropes ne sont été inventés que par nécessité, à cause du défaut et de la disette des mots propres*. Eadem vero ratione multa vocabula, quae personis conveniunt, simul certis locis sunt vendicata, quocumque modo illa mutuam habeant relationem. Quum igitur ad hos scopulos tirones facile adhaerescant, siquidem iuxta tritam sententiam

errorum genitrix fuit acquiuocatio semper:

operam neque futilem neque ingratham facturi videmur, si exempla quaedam nominum ambiguum, quae *vaga* PLINIVS adpellat, f) in medium profereamus. Animus quidem erat, ea vocabula, quibus simul homines et loci insigniuntur, ex variis linguis colligere, et initium a sermone Germanico facere. Cui enim ignota sunt nomina *Acken, Altenburg, Burg, Buttstedt, Brandenburg, Cassel, Chemnitz, Colberg, Cracaw, Delitzsch, Erfurt, Freyberg, Hamm, Holstein, Homburg, Marburg, Oesterreich, Rechenberg, Salsfeldt, Schafshausen, Schaumburg, Schlüsselburg, Stolberg, Trier, Weissenfee, Zutphen, etc.* quae non minus personis conveniunt quam locis. Sed his alium in locum atque aliud in tempus reiectis, iam ab iis vocabulis auspicemur, quae personis et locis communia, in lingua Hebraica, omnium reliquarum antiquissima et sanctissima, obuersantur. Et huius quidem sermonis nomina Propria, quae simul personis et locis conveniunt, eam ob causam

a) Origin. Babyl. c. XI. b) Genes. XI. 4. c) Ies. LV. 13. d) de Oratore L. III. n. 155. e) Maniere d'enseigner T. II. p. 246. conf. Bern, Lamy l'art de parler L. II. Chap. I. f) Hist. Nat. L. XXVII. c. 4.

sam diligenter notari merentur, quod illa non sunt nudi et sine mente soni, sed certam significationem complectuntur, ex ipsis visceribus huius linguae eruendam, quae ad sacras literas illustrandas haud parum lucis adfert. De quo argumento quum multi libri proferant, plura addere iam non attinet, quoniam ad praefens negotium non nisi ea nomina propria conquirenda erunt, quae personis et locis simul tribuuntur. Antequam vero censum eorum ineam, hoc monendum videtur, *personas* non modo singulos homines, sed etiam uniuersos populos, itemque deos atque angelos continere, *locos* autem et regiones et urbes et montes et valles et fluuios complecti. Haec duo enim respectu cohaerere, res ipsa loquitur. Et quis nescit, veteres ex suis nominibus urbes ab se conditas adpellasse? id quod nomina Hanoeh, Assur, Nimrod, Dedan, Sichein, etc. luculenter testantur. Quam hominum vanitatem vates diuinus notasse videtur, his usus verbis: g) קרא בשמות על ארצות quae CASTELLIO adpositae ita conuertit: *terras ex nominibus suis adpellant*. His praemissis, nomina ad hanc classem pertinentia, eaque potiora, ex ordine litterarum Hebraicarum ita sequuntur:

ADAM, (אָדָם) nomen fuit primi hominis notissimum, h) quod vero simul in urbis indicium transit, ad latus Zarethanis positae, i) et procul dubio a rubra terra eodem iure dictae, quo Pyrrha, Erythra, Xanthus et Rufa nomina sua sunt sortitae. VR, (וֶרָא) non solum urbs Chaldaeorum celeberrima, et patria Haranis, k) dicta fuit, nomen ab igne naeta, quem sacrificuli perpetuo ibi aluerunt, diuinoque cultu adfecerunt, sed etiam pater Eliphalis eodem nomine utebatur. ck) ELON (אֵלֹן) nomen commune fuit tribus personis separatis, quippe quo focer Esau ex gente Chitaeorum, l) porro filius Zebulonis, m) et praeterea iudex Israelitarum n) insigniti fuerunt. Eodem vero etiam urbem Danitarum, a quercuum copia, adpellatam fuisse, constat, o) AZEL, (אֶזֶל) quod vi originis separatum et praestantem notat, non solum filio Elhaseae competebat, p) qui ex familia Saulis erat, sed etiam locum indicabat, a propheta commemoratum. q) ASCHER, (אֲשֶׁר) quod idem significat ac Tychicus, r) Eutychnus, s) Felix, t) et Fortunatus, u) erat filius Iacobi, ex Silpa ancilla, regionis metalliferae destinatus x): eodem vero nomine etiam locum designari, quem Hieronymus in tribu Manasse sitam fuisse ait, ex historia sacra adparet. y) BELA, (בֵּלָא) illius urbis nomen, quae una ex iis quinque erat, quarum metropolis Sodomae fuit, z) et quae propterea *πενταπολις* adpellatur, a) postero tempore *Zoar* dicta, b) sed simul etiam fuit nomen personae, utpote quo tam rex Idumaeorum primus, filius Beor, c) quam filius Beniaminis, d) et filius Afani e) usi sunt. BEZER, (בֵּצֶר) nomen et filio Zophachi, f) et urbi Rubenitarum commune, g) quae Hierichuntem versus, in solitudine et planitie Rubenis sita erat, h) atque inter urbes refugii

g) Pf. 49. 12. h) Genes. 2. 7. i) Ios. 3. 16. et Pf. 78. 60. k) Genes. 11. 28.
 ck) 1. Chr. 11. 35. l) Gen. 26. 34. m) Gen. 46. 14. n) Iud. 12. 11.
 o) Ios. 10. 43. p) 1. Chr. 8. 37. q) Zach. 14. 5. r) Act. 20. 4. s) Act. 20. 9.
 t) Act. 24. 3. u) 1. Cor. 16. 17. x) Deut. 33. 25. y) Ios. 17. 7.
 z) Genes. 14. 2-8. a) Sup. 10. 6. b) Gen. 14. 8. c) Gen. 36. 32. d) Gen. 46. 21.
 e) 1. Chr. 5. 8. f) 1. Chr. 7. 37. g) Deut. 4. 43. h) Ios. 20. 8.

refugii referebatur. BERED (בֶּרֶד) non minus filium Sutelachi notat, i) quam locum in deserto Sur designat, k) BETHVEL (בֵּית־וֵאל) nomen, quod tam filio Nachoris, l) quam urbi Simeonitarum m) conueniebat. GEDOR (גֶּדוֹר) urbs fuit, in tribu Iudae sita, atque oppido Berae proxima, n) itemque filius Iseielis ex tribu Benjamin. o) DEBIR (דְּבִיר) urbem non unam indicat, aliam nempe in tribu Gad, p) aliam iuxta Hierichuntem, q) ad quam oppugnandam Calebus proficiscebatur, r) et aliam in tribu Iuda sitam, s) quae etiam Kiriathsepher audiebat, t) Idem vero nomen etiam regi Eglonis commune fuit, u) DEDAN (דֶּדָן) dictus fuit filius Raama, nepos Cuschis, x) itemque filius Ioksehanis, qui nepos Abrahami erat, y) a quo urbs Idumaeae eiusdem nominis adpellabatur, z) DVMAH, (דִּוְמָה) unus ex filius Ismaëlis, a) nec non urbs in tribu Iudae sita, b) et ab illa distincta, quae ad Idumaeam pertinebat, et ad Seir referebatur, c) HEBRON (הֶבְרֹן) tam urbem Palaestinae indicat, d) antiquitate fere primam, et septem annis Zoane priorem, e) alio nomine Kiriathorba dictam, f) quam filium Kahathi, g) itemque nepotem Calebi designat, h) HAMMATH (חַמַּת) nomen loci in tribu Naphthali, i) ab aquis calidis, quibus abundabat, et fortasse à thermis Tiberiadis, adpellati, quare etiam cum terminatione augmentatiua חַמַּתָּן reperitur; k) simul vero etiam nomen viri, qui pater Rechabitarum salutatur, l) HANOCH (חֲנוֹךְ) primae urbis nomen, a primogenito Caini filio ita adpellatae: m) eodem vero usi sunt Iaredi filius primogenitus, n) itemque filius Rubenis, o) nec non filius Midianis, p) HEPHER (חֶפְרָה) dictus fuit filius Gileadis, q) itemque Afluris, r) nec non cuiusdam ex viris militiae Dauidicae, s) Idem vero nomen urbi impositum legitur, quae in tribu Zebulon sede regia illustris erat, t) et cuius regem Iosua occidebat, u) Praeterea uniuersus ille tractus hoc nomine insignitus fuisse videtur, quod ex cognomine prophetae Ionae adparet, qui in Gathhepher natus fuisse legitur, x) HEZRON (חֶצְרוֹן) nomen, quo filius Rubenis, y) et filius Pereziz) commemorantur, quod Graece Ἑζραμ̄ efferretur, a) Eodem vero urbs in tribu Iuda celebrabatur, b) quae alias simplici terminatione *Hazor* nominabatur, c) nec non alia urbs Galilaeae superioris, ad lacum Samaeonitidem sita, quae caput omnium regnorum septentrionalium in Palaestina salutatur, d) et quam Iosua non tantum expugnauit, sed etiam, interfectis omnibus incolis, igne deleuit, e) HARAN (חָרָן) nomen, quo et filius Calebi f) et urbs Mesopotamiae notatur, g) Graecis Χαγγαρον̄ adpellata, h) Vtrum vero hic locus *Carras* referat, in historia Romana celebratas, Cellarius in utramque partem prolixè

- i) I. Chr. 7. 20. k) Gen. 16. 14. l) Gen. 22. 22. m) I. Chr. 4. 30. n) Ios. 15. 58.
o) I. Chr. 8. 31. p) Ios. 13. 26. q) Ios. 15. 7. r) Ios. 15. 15. s) Ios. 10. 38.
t) Iud. 1. 11. 12. u) Ios. 10. 3. x) Gen. 10. 7. y) Gen. 25. 3. z) Ier. 25. 23.
a) Gen. 25. 14. b) Ios. 15. 53. c) Ios. 21. 11. d) Gen. 13. 18. e) Num. 13. 23.
f) Ios. 15. 13. g) Exod. 6. 18. h) I. Chr. 2. 42. i) Ios. 19. 35. k) I. Chr. 6. 76.
l) I. Chr. 2. 55. m) Gen. 4. 17. n) Gen. 5. 18. o) Gen. 46. 9. p) Gen. 25. 4.
q) Num. 26. 33. r) I. Chr. 4. 6. s) I. Chr. 11. 36. t) Ios. 12. 17. u) I. Chr. 1. c.
x) 2. Reg. 14. 25. y) Gen. 46. 9. z) Ruth 4. 18. a) Matth. 1. 3. b) Ios. 15. 4.
c) Ios. 15. 25. d) Ios. 11. 10. e) I. Chr. 2. 46. f) Gen. 11. 31. g) Ios. 17. 4.

prolixè disputat, i) TELEM (טלם) nomen est loci et personae: quippe quo et ianitor quidam templi Hierosolymitani, qui tempore Eldrae coniugium cum alienigena inierat, k) et urbs, in tribu Iudae, Idumaeorum regioni finitima, l) notabatur, quae eadem cum *Telaim* fuisse existimatur. m) IABES (יבס) fuit nomen patris Schalumi, regis Israelitarum n) itemque urbis in Gilead sitae, o) obsidione Nahaschi, Ammonitae, nobilitata, et quam obsessam Saul liberavit: p) cuius beneficij memores incolae tam regis quam filii cadauera, a Philistaeis ignominiose suspensa, sepultura dignabantur. q) IESREEL (ישרעל) non solum notat virum ex familia Iudae ortum, r) et primogenitum filium Hoseae, (Hof. 1.6.) sed etiam urbem in montanis Iudae sitam, s) itemque totum illius regionis tractum: t) praeterea refert urbem in tribu Manasse, nempe illam Samariae metropolim, ubi magnificum palatium regum Israeliticorum exsplendebat, u) et ad quam rex Ioram confugiebat, ab Halaale, Syrorum rege, percussus, x) et a qua vallis proxima idem nomen obtinebat, y) quae, Hieronymo teste, amplius decem millia passuum extendebatur. IAPHIA (יפיא) nomen fuit regis in Lachis, z) nec non filii, quem Dauid ex pellice genuerat: a) itemque urbis in tribu Zebulon sitae. ae) IEKVTHIEL (יכתיאל) dictus fuit filius Meredi, ex posteris Iudae. b) Idem vero nomen competebat metropoli Arabiae, quae, parum mutatis punctis, etiam Ioktheel audiebat, et cui rex Amazia cognomen *Sela* imponebat, quum bello eam acquisivisset, c) Alia etiam urbs in tribu Iuda id nomenis fuissebat. d) IESCHVA (ישכבה) nomen quo salutaris, eo frequentius; utpote quo filius Nun, Moysi minister, e) alias Iosua dictus, porro sacerdos quidam, f) nec non alius eiusdem ordinis socius, g) itemque Levitae complures, h) nec non filius Ezeri i) excelluerunt. Simul vero idem nomen urbi k) conveniebat, quod boni ominis causa impositum fuisse, Cel. *Simonis* existimat, ck) qui eodem consilio Muhammedanos urbem *Bagdad* h. e. urbem salutis, adpellasse, suspicatur. LABAN (לבן) nomen, quo non minus filius Bethuelis, nepos Nachoris, l) quam urbs quaedam signabatur in deserto Arabiae, fortasse eadem cum Libna, (Num. 33. 20.) m) MANACHATH (מנחת) filius Schobalis, ex familia Elsau, n) cum quo fere fratris nomen *Menucha* conspirat, o) Praeterea locus etiam minus cognitus hoc nomine indicatur, p) MARESA (מרסא) urbs fuit haud ignobilis in tribu Iuda iuxta vallem Zephata, q) a Rehabeamo munita, r) patria Michae, (Mich. 1.1.) quae Graece *Μαρσα* adpellatur, s) Quod illa longe in plagam australem procurrerit, ex eo intelligitur, quod, quum Aethiopes usque ad Maresam ascendissent, rex Assa illos in campis iuxta hanc urbem profligavit, et usque Gerarem, quae est extra limites Palaestinae, fugientes cecidit. t) Fuit vero etiam nomen viri, nempe patris Hebronis, u) NACHIAS, (נחיש) nomen, quo non solum rex Ammonitarum, w)

et

- i) Gegr. Antiqu. Vol. II. p. 727. k) Efr. 10. 24. l) Ios. 15. 24. m) 1. Sam. 15. 4.
n) 2. Reg. 15. 10. o) Iud. 21. 8. p) 1. Sam. 11. 1. 1sq. q) 1. Sam. 31. 13.
r) 1. Chr. 4. 3. s) Ios. 15. 56. t) 1. Sam. 29. 1. u) 1. Reg. 21. 1. x) 2. Reg. 9. 15.
y) Iud. 6. 33. z) Ios. 10. 3. a) 2. Sam. 5. 15. ae) Ios. 19. 12. b) 1. Chr. 4. 18.
c) 2. Reg. 14. 7. d) Ios. 15. 38. e) Nehem. 8. 17. f) Nehem. 12. 1. g) 1. Chr. 24. 11.
h) 2. Chr. 31. 15. Efr. 2. 40. Nehem. 8. 7. c. 12. 10. i) Neh. 3. 19. k) Neh. 11. 26.
ck) Onomast. Sacr. p. 520. l) Gen. 24. 29. m) Deut. 1. 1. n) Gen. 36. 23.
o) 1. Chr. 2. 52. p) 1. Chr. 8. 6. q) 2. Chr. 14. 10. r) 2. Chr. 11. 8.
s) 2. Maccab. 12. 35. t) 2. Chr. XIV. 10. 14. u) 1. Chr. 2. 42. w) 1. Sam. 11. 1.

et pater Schobi, x) itemque Abigailis genitor, y) sed ea etiam urbs inclaruit, cuius conditor Techinna celebratur. z) NAAMA, (נעמה) erat filia Lamechi, ex Zilla procreata, a) itemque mater Rehabeami, b) nec non urbs, ad tribum Iudae referenda, c) et alius locus, quem tertius Iobi amicus, Zophar, natalem habuit, qui Naamithida cognominatur, d) et qui procul dubio incola Arabiae desertae, in Iobi vicinia fuit. NAARAH (נערה) est nomen, quod non modo uxorem Assuris signat, e) verum etiam urbem in tribu Ephraim indicat, f) quae postero tempore amplificata, cum augmento Hebraeis familiari Naaran adpellata fuit. g) ABDON (עבדון) nomen, pluribus personis ac locis commune. Hoc scilicet filius Hillelis, iudex Israelitarum, h) nec non filius Scheschaki, i) porro filius Ieielis, k) et filius Michae, l) utebantur. Idem vero etiam urbi in tribu Assere conveniebat, m) quae una atque eadem cum עבדון fuisse videtur, n) EGLON, (עגלון) qua adpellatione non minus rex ille Moabitarum, corporis pinguedine spectabilis, o) quam urbs in tribu Iudae posita p) notabantur, cuius rex in numero eorum versabatur, quos Iosua uno praelio prosternebat, q) rege autem caeso, ipsam urbem capiebat ac debebat. EDEN, (עדן) nomen, quod regioni illi orientali, a deliciis dictae, et Paradisum, habitaculum primorum hominum complexae, r) itemque filio Ioachi s) competebat. EDER (עדר) fuit nomen duorum locorum, scilicet urbis in tribu Iuda, t) et turris maxime conspicuae, quae haud procul Bethlehemo in speculam gregum observandorum erat exstructa: u) praeterea vero etiam filius Musi eodem legitur usus fuisse. w) EBAL, (עבאל) nomen, quod et filius Ioktanis, x) et filius Schobalis y) gesserunt: quo vero simul mons ille celeberrimus inlaretcebat, in quo maledictiones diuinae sollempniter promulgabantur. z) ALEMETH, (עלמה) nomen formae peculiaris, quod terminatione feminina, perinde ac צפנה et מנחה, ad sexum masculinum refertur. Et quidem tam filium Becheri, a) quam filium Ioaddae b) refert. Occurrit tamen etiam inter nomina urbium, c) et inde formam femininam obtinuisse videtur. ANER, (ענר) fuit nomen viri, qui societate cum Abrahamo coniunctus erat, d) et simul urbis in tribu Manasse sitae, e) quae alio nomine Thaanach adpellabatur. f) ANANIA, (ענניה) commune nomen et patri Maëseiae, g) et urbi, quae Beniaminitis in domicilium cessit. h) ANATHOT, (ענתות) nomen, quod praefecto Iudaicae gentis i) et filio Becheri k) competebat: quo vero simul urbs sacerdotalis, in tribu Benjamin sita, l) utebatur, et ad quam vates Ieremias natales suos referebat, m) Neque tantum forma huius nominis pluralis, sed singularis quoque ענא utrinque valet. Eo enim et pater Samgaris, n) et urbs in tribu Naphtali sita, o) utebantur.

- y) 2. Sam. 17. 25. 27. z) 1. Chr. 4. 12. a) Gen. 4. 22. b) 1. Reg. 14. 21. c) Ios. 15. 41.
d) Iob. 2. 12. e) 1. Chr. 4. 5. f) Ios. 16. 7. g) 1. Chr. 7. 28. h) Iud. 12. 13.
i) 1. Chr. 8. 23. k) 1. Chr. 9. 36. l) 2. Chr. 34. 20. m) Ios. 21. 38. n) Ios. 19. 28.
o) Iud. 3. 12. p) Ios. 10. 3. q) Ios. 10. 5. r) Gen. 2. 8. s) 2. Chr. 29. 12. t) Ios. 15. 21.
u) Gen. 35. 21. w) 1. Chr. 23. 23. x) 1. Chr. 1. 22. y) Gen. 36. 23. z) Deut. 11. 29.
a) 1. Chr. 7. 8. b) c. 8. 36. c) c. 6. 60. d) Gen. 14. 13. e) 1. Chr. 6. 55. f) Ios. 21. 25.
g) Neh. 3. 23. h) c. 11. 32. i) c. 10. 20. k) 1. Chr. 7. 8. l) Ios. 21. 18.
m) Ier. 1. 1. n) Iud. 3. 31. o) Ios. 19. 38.

bantur. EPHRON, (עפרון) virum ex familia Chittaeorum designat, p) et urbem in confiniis tribus Ephraim notat, q) quae eadem cum Eφραιμ putatur. r) Idem vero nomen loco competit, monti scilicet, in confinio Iudae et Benjaminis sito. s) ARAD (ארד) conuenit et regi Cananitarum, f) et filiae Briae, t) et urbi Amorrhaeorum in tribu Iuda sitae, quae fines terrae Canaan attingit, u) deserto Cades vicina, cuius rudera sua aetate vicelimo ab Hebron lapide adhuc visa fuisse, Eusebius adfirmat. PHVL (פול) nomen fuit et regis Assyriae, x) et insulae atque urbis in Nilo supra Syenen positae. y) PVEL et PNIEL (פניאל et פניאל) notat locum a diuina adparitione, quae patriarchae Iacobo post luctum cum angelo obtingebat, ita dictum, z) et qui interiecto tempore in urbem bene munitam euadebat, a) Praeterea refert filium Scheschaki, b) et alium, qui urbem Gedor condidit, in tribu Iuda sitam, c) et quem Graeci Φαυνηλ adpellabant. d) SIDON, (צידון) non modo filius Caananis primogenitus dictus fuit, e) sed etiam urbs Phoeniciae ab hoc conditore nomen accepit, f) Graecis Σιδων adpellata, g) adeo ampla et potens, ut κατ' ἐξοχην ἡ πόλις h. e. magna et copiosa cognominaretur. h) RECHOBH, (רעוב) virum refert in numero signatorum recensitum, i) itemque patrem regis Hadadeseris, k) simul vero etiam urbem in limite septentrionali Canaanis, l) quae forte tribui Afler addicebatur. m) neque minus locum Syriae cum uniuerso tractu circumiacente, n) RIMMON (רמון) fuit nomen prae ceteris πολυσημον. Eo enim non solum deus Syrorum indicatur, o) et pater parricidarum, qui Isobothum occiderant, p) sed etiam petra excelsa prope Gibeam, q) itemque urbs in tribu Iudae haud procul ab Ain sita, r) quae postmodum Simeoni assignata, s) etiam En-Rimmon audiebat, t) porro urbs ad tribum Zebulon pertinens, u) et statio peregrinantium Israelitarum. x) RAA-MAH (רעמה) fuit filius Cuschi, y) qui etiam רעמה scribitur, z) et a quo urbs Raamah nomen videtur sortita fuisse. a) REKEM (רקם) nomen tribus viris familiari, videlicet filio Hebronis, b) regulo Midianitarum c) et filio Schereschi: d) simul vero urbi commune, quae in tribu Benjamin sita fuit. e) SICHEM (שכם) cum Scheua et Segol) fuit filius Hemoris, f) et urbs ab eodem dicta, g) quam Abimelech deleuit, h) Ierobeam autem restaurauit. i) Hanc proxime ad montem Garizim sitam fuisse, ex eo adparet, quod Iotham ex vertice illius montis colloqui cum Sichemitis potuit. k) Graeci eandem mox Σικιμα, l) mox Συχημ m) et mox Συχαγ n) adpellant. Alio modo scriptum nomen Sicheim (per duplex Segol) competit filio Gileadis, o) eiusque nepoti, porro filio Schmidai, p) nec non urbi a prophetis celebratae. q) SCHAMIR (שמיר) nomen, quo et filius Michae, r) et

p) Gen. 23. 8. q) 2. Chr. 13. 19. r) Ioh. 11. 54. s) Ios. 15. 9. t) Num. 21. 1. u) I. Chr. 8. 15.
u) Num. 21. 1. x) 2. Reg. 15. 19 y) Ios. 66. 19. z) Gen. 32. 31. 32. a) Iud. 8. 8. 17.
b) I. Chr. 8. 25. c) I. Chr. 44. d) Luc. 2. 36 e) Gen. 10. 15 f) Gen. 10. 19.
g) Matth. 11. 21. h) Ios. 11. 13. i) Nehem. 10. 11. k) 2. Sam. 8. 3. l) Num. 13. 21.
m) Ios. 19. 30. n) 2. Sam. 10. 6. 8. o) 2. Reg. 5. 18. p) 2. Sam. 4. 2. q) Iud. 20. 45. 47.
r) Ios. 15. 32. s) Ios. 19. 7. t) Neh. 11. 29 u) Ios. 19. 13. x) Num. 33. 19.
y) Gen. 10. 7 z) I. Chr. 1. 9. a) Ezech. 27. 22. b) I. Chr. 2. 43. c) Num. 31. 8.
d) I. Chr. 7. 16. e) Ios. 18. 27. f) Gen. 33. 19. g) Gen. 12. 6. h) Iud. 9. 45.
i) I. Reg. 12. 25. k) Iud. 9. 7. l) Syr. 50. 26. m) Act. 7. 16. n) Ioh. 4. 5.
o) Num. 26. 31. p) I. Chr. 7. 19. q) Hof. 6. 9. r) I. Chr. 24. 24.

et urbs in tribu Iudae, s) itemque alia in montano tractu tribus Ephraimiticae indigitabatur. t) SCHIMRON (שמרון) non minus filius filius Abrahami ex Keturā (Gen. 25. 2.) itemque Iisfcharis, u) quam urbs in tribu Zebulon x) adpellabatur, cui alias etiam nomen Meron adiunctum legitur. y) THACHATH (תחה) filius Assiris, z) porro filius Beredi, a) itemque huius nepos, filius Eladae, b) nec minus locus stationis Israëliitarum proficiscentium c) audiebat, THAMAR (תמר) nomen personis et locis commune. Nam eo compellabantur uxor Eri, nurus Iudae, incestu infamis, d) filia Davidis, e) itemque Absalomi, Rehabeami uxor; f) eodem vero simul urbs Hiericho notabatur, g) nec non ea urbs Syriacae, h) quae, Iosepho teste, i) a profanis scriptoribus Palmyrae nomine celebratur, quoniam Hebraicum תמר palmam significat, inter ceteras urbes tantum se efferens, quantum palma inter reliquas arbores eminent, k) THIRZA (תרצה) postrema filiarum Zelophehadi, l) itemque urbs et sedes regia plurimum, regum Israëliticorum, antequam Samaria conderetur, m) singulari amoenitate commendabilis. n) Hanc LXXes in Θερσα, Iosephus autem in Θερση conuertunt. Qua differentia Hieronymus deceptus, Thersam a Tharsa distinguit, perhibens, illam a Iosua captam esse, hanc vero regem Baesam incoluisse. THARSCHISCH, (תרשיש) nomen, quo filius Iauanis, à quo Cilices orti dicuntur o) filius Bilhanis, p) et princeps quidam Persarum q) usi fuerunt: quod vero etiam commune fuit urbi a priori denominatae. r) Haec autem ubi quaerenda sit, et, utrum Tartessus Hispaniae, an Tarsus Ciliciae, an vero India Orientalis hoc nomine referantur, historici et geographi certant, et adhuc sub iudice lis est. s)

Haec iam sufficiant hoc ex argumento delibata. Nam quae huius generis nomina in aliis linguis obuerfentur, et qui errores ex eorum confusione saepe oriantur, alio tempore ostendemus. Iam vero ad eum redimus, qui suo nomine ansam dedit de hoc argumento verba faciendi. Est is iuuenis morum probitate et studio discendi commendabilis,

EHRENFRIED GÖTTHARDT COLDITZ, Tanneberg.

qui stadium scholasticum emensus ex scholae umbra in lucem academicam se conferre decreuit. Beneficiorum autem memor, quibus hoc loco ornatus fuit, animo honesto indignum censet, prius discedere, quam sensum pietatis publice declaret, et gratiarum actionem ad praesentium temporum rationes accommodatam praemittat, bellum iustum iniquae paci omnino esse praesferendum, ostensurus. Cui condiscipulorum nomine non minus quam suo amicus ac popularis

Iohann Gottlob Burkardt, Tanneberg.

hoc institutum carmine germanico gratulabitur: quo testatum faciet, plurimos homines suae ipsorum calamitatis esse architectos.

A Vobis igitur, PATRONI atque FAVTORES, non solum facilem praesentiam obsequiose exspectamus, sed etiam beneuolam audientiam cras ante meridiem finitis sacris confidenter nobis pollicemur.

P. P. Freibergae, d. XXV. Octobr. MDCCCLVIII.

- s) Ios. 15. 48. t) Iud. 10. 1. 2. u) Gen. 46. 13. x) Ios. 11. 1. y) Ios. 12. 20.
 z) 1. Chr. 6. 24. a) 1. Chr. 7. 20. b) 1. c. c) Num. 33. 26. d) Gen. 38. 6.
 e) 2. Sam. 13. 1. f) 2. Sam. 14. 27. g) Ezech. 47. 19. h) 1. Reg. 9. 17. i) Antiqu. L. VIII. c. 11. k) Plin. Hist. Nat. L. V. c. 25. l) Num. 26. 33. m) Ios. 12. 24.
 n) Cant. 6. 3. o) Gen. 10. 4. p) 1. Chr. 7. 20. q) Esth. 1. 14. r) 1. Reg. 10. 22.

Yb 627

22

ULB Halle
001 508 164




3

(811148)

TA-204

VD 18





92

NOMINA
PERSONARVM ET LOCORVM
COMMVNIA
RECENSET

ATQVE
AD ORATIONEM VALEDICTORIAM
OBSEQUIOSE INVITAT
M. IO. GOTTL. BIDERMANN. R.

FREIBERGAE,
Litteris MATTHAEANIS.

XCII.

